

§. 4. (2) Si baptismus ab heterodoxo ministro administratus; ubi substantialia integra servantur, est legitimus, multò magis legitima erit ordinatio ab eo peracta, ut non necesse sit eam repetere: Antecedens est verum. Ergo.

§. 5. arg. (3) Si in V. T. sacerdotum & Levitarum ordinatio à ministerio corrupto facta, fuit legitima, ut non fuerit iterata, etiam hodie nihil causæ est, cur ab heterodoxo ministerio facta ordinatio sit iteranda. Antecedens est verum, Ergo & consequens. Anteced. clarum est ex Esa. XLVI, 10.

§. 6. Denique idem probat exemplum B. Lutheri in Papatu ordinati, cuius ordinatio pro legitimâ fuit habitâ, nec denuo post agnitam veritatem fuit ordinatus.

§. 7. Dicis: Heterodoxus, qui ordinavit, non fuit pastor Ecclesiæ, sed lupus, quomodo ergo ordinare, & Ecclesiæ præficere potuit verum ministrum? Resp. Heterodoxus Episcopus v.g. Pontificius ordinat, non ut lupus h. e. Ecclesiæ hostis, sed contra exequitur id, quod ab Ecclesiâ ipsi demandatur: ab ecclesiâ autem demandatur ei, ut ordinet ministrum ad prædicandum verbum & Sacraenta administranda secundum Christi institutionem, hoc modo ab heterodoxo ordinatus re-
Etè ordinatus est.

§. 8. Si verò quis in Ecclesiâ orthodoxâ educatus, informatus veramque religionem amplexus fuerit, & tamen petat ordinationem ab heterodoxo, & ab eo ordinetur, talis ordinatio pro nulla est habenda, & denuò ordinandus est. Nam (1) talis ordinatio scandalosa est, & speciem habet collusionis cum adversariis & heterodoxis. (2) Christus iubet, ut caveamus nobis à pseudoprophetis Matth. VII. i. e. falsis Doctribus. (3) Episcopus Papalis in ordine ad ecclesias orthodoxas hîc spe-
ctandus est ut lupus, ut raptator earum, à tali autem petere ordinatio-
nem in orthodoxâ Ecclesiâ, nimis absurdum est.

CASVS XIV.

AN studiosus, qui tantum exercitii gratiâ concionem ad populum habet, ad hoc ipsum legitimam vocationem habere debeat?

§. 7.

Affirmativa videtur esse Augustanæ Confessionis Art. 14. ubi dicitur, quod nemo in Ecclesiâ publice docere debeat, nisi ritè vocatus. Qui

E 2

autem